UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 67. Fidei formula ad uniendos Lutheranos excogitata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67213

Visual Library

Sæcul. XVI A.C. 1571. exprimeretur, ſimulque rejecta Sacramentariorum doctrina verbis oppido vehementibus condemnaretur: inſuper Wittembergenſes Theologi ad ſignandam hanc formam cogebantur, ubi reluctantes in carceres detrudebantur, hinc Torgavienſi horum deciſione nonniſi diſſidia inter Lutheranos magis augebantur.

§. LXVII.

Fidei formula ad uniendos Lutheranos excogitata.

Hoſpin. de cœna Dom. 1. Inſt. tom. 2. & in concord. diſcor.

Cum Saxoniæ Elector haſce diſſenſiones ſedare percuperet, Liectembergæ alium indixit conventum, ubi duodecim Theologi quosdam concordiæ articulos proponebant, ut inter Confeſſionis Auguſtanæ Sectatores unio fieret: porro hi articuli erant, prout ſequuntur. I. Calviniſtæ ab hac unione excludantur. II. Omnium diſſenſionum præteritarum oblivio ſanciatur. III. Melanchtonis doctrina, ejusque explicatio, necnon Wittembergenſis Catechismus, ejusdemque urbis Theologorum quæſtiones, & reſponſa, ac denique Dresdenſis concordia ſupprimantur. IV. Utriusque partis Theologi convocentur, ut circa Confeſſionis Auguſtanæ explicationem mutuo conferant. In hoc conſeſſu doctrina, qua Chriſti

Chriſti Corpus ubique exiſtere dicebatur, fuit rejecta, unde rurſus Lutherani rigidiores in duas factiones ſcindebantur. Sæcul XVI. A. C. 1571.

§. LXVIII.

Lutherani cum Zwinglianis in Sandomirenſi conventiculo conſpirantes.

Nec minor etiam diſſenſio quoad ſuam ſectam fervebat inter Sacramentarios, prout ex quibusdam conventiculis, quæ hoc anno celebrabant, aperte conſpicitur, quippe Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo Sandomiræ ejusmodi conventus habebatur, in quo concordia inter Lutheranos, Bohemos, & Zwinglianos in Poloniam profugos ſancita erat: huic vero Synodo ſequentem præſigebant titulum: *unio, ac mutuus conſenſus inter Poloniæ Eccleſias, ſeu inter Confeſſionis Auguſtanæ Sectatores, & Confeſſionis Fratrum Bohemorum aſſeclas, atque inter Confeſſionis Eccleſiarum Helveticarum fautores, ſeu Zwinglianos.* In hac Synodo integrum penitus confeſſionis Saxonicæ articulum circa cœnam producebant juxta formam, quam Melanchton circa annum Salutis noſtræ milleſimum quingenteſimum quinquageſimum primum eo fine excogitaverat, ut hic articulus Tridenti propo-

Syntagma gen. 2. fol. 218. & 219. Bouſſet variat. tom. 4. lib. 11. art. 192.